DISSERTATIO INAVGVRALIS JVRIDICA,

DE INJVSTA JVDICIS IRA,



QVAM,

EX DECRETO ET AVTORITATE

MAGNIFICI JCTORVM ORDINIS

IN ALMA AC PER-ANTIQVA ELECTORALI VNIVERSITATE ERFORDIENSI,

SVB PRÆSIDIO

FACVLTATIS JVRIDICÆ DECANI,

DN. CONRADI WILHELMI Streckers, JCTI,

PRÆFATÆ FACVLT. ET JVD. ELECT. PROVINC. ASSESSORIS, PROFESSORIS PVBLICI, NEC NON CIVITAT. STND. SENATORIS SENIORIS, ET CAVSAR. TVTEL. CONSVLENTIS,

PRO LICENTIA

LEGITIME CONSEQVENDA,

PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI

SVBMITTET

CHRISTIAN. FRID. BACKHAVSSIVS,

NOT. CÆSAR. PVBL. IMMATRICVLATVS.

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI

DIE XXIII. SEPT. M DCC XXXIII.

ERFFVRTI, Typis HERINGII, Acad. Typogr.

PERILLVSTRI ATQVE EXCEL-LENTISSIMO

DOMINO

ERASMO LEOPOLDO DE GERSDORFF,

AVGVSTISSIMI POLONIÆ ATQVE LITTHVANIÆ PRINCIPIS ET ELECTORIS SAXONIÆ SERENISSIMI VICE-CANCELLARIO,

DYNASTÆ IN NIEDERWALDE,

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO ANTIQVITATE GENTIS ET VIRTVTIS INTEGRITATE MAXIME INCLVTO.

NEC NON

VIRO

PRÆNOBILISSIMO CONSVLTISSIMO ET EXCELLENTISSIMO

DOMINO

GEORGIO SAMVELI LVDOVICI,

JCTO CELEBERRIMO,

POTENTISSIMI POLONIÆ ET LITTHVANIÆ PRINCIPIS VT ET ELECTORIS SAXONIÆ CONSILIARIO AVLÆ ET JVSTITIÆ, REFERENDARIO AVLICO NEC NON APPELLATIONVM RELIQVA,

MÆCENATIBVS STVDIORVMQVE PROMOTORIBVS,

INAVGVRALEM HANCCE DISSERTATIONEM FIDEI SVÆ DEVOTÆ TESSERAM HVMILLIMA MENTE

OFFERT ET CONSECRAT

CHRISTIANVS FRIDERICVS BACKHAVSS.



DISSERTATIO INAVGVRALIS JVRIDICA

DE

INJVSTA JVDICIS IRA.

§. I.



Dfectus, ex ſententia recentiorum Philoſophorum, ſunt vel *mere mentales*, vel *mere corporales*, vel *ſenſuales*. Mere mentales ſunt, ſi commotio in mente originem habeat, etſi etiam ad corpus motus ille, inprimis ſi paulo vehementior fuerit, propagetur. Mere corporales adfectus, in extraordinaria tantum ſanguinis commotione conſiſtunt, per quam mens equidem quodammodo afficitur, ut aliquid ſentiat ſeu patiatur, ſed ut commotio activa non accedat. Denique ſenſuales adfectus dicuntur, in quibus mens & corpus ita concurrunt, ut in mente activa etiam commotio deprehendatur. Vid. ARNOLD. WESENFELDIVS *georg. anim. & vit. part. 1. cap. 2. §. 2. ſq.* VINCENT. PLACCIVS *acceſſion. ethic. part. 1. cap. 4. §. 9. ſeqq.* Et hi ſenſuales definiuntur a JO. FRANC.

 BVD-

BVDDEO *instit. theol. moral. part. 1. c. 1. sect. 6. §. 5.* quod sint commotiones voluntatis, ex repraesentatione objectorum, cum relatione quadam ad nos spectatorum, sub ratione grati aut ingrati, & hinc spirituum animalium excitata agitatione ortae, & iterum extraordinarium motum sanguinis efficientes, ad hominis conservationem comparatae.

§. II.

De sede adfectum multum & copiose disputatum est a Philosophis. Veteres sedem adfectibus assignant in adpetitu sensitivo conf. LAELIVS PEREGRINVS *de adfectib. cap. 2.*; CARTESIVS & quidam ejus discipuli sedem adfectuum intellectui tribuunt: nonnulli ex CARTESII schola, ut RVARDVS ANDALA *exercitat. academ. in philos. prim. & natur. part. 1. exerc. 9. §. 12.* certa ratione ad intellectum, & alio modo ad voluntatem, adfectus referunt. Alii contra, cum BVDDEO, sedem adfectuum unice in voluntate quaerunt. Repraesentantur vero objecta non solum per sensus externos, sed etiam per imaginationem.

§. III.

Adfectus in *primitivos* & *derivativos* dispescuntur. Sed de primitivorum sive principum ac praecipuorum adfectuum numero, magna est inter Philosophos dissensio. Stoicorum, Scholasticorum, Epicuri, Cartesii aliorumque diversas sententias diligenter recensent ac eas sub examen vocant laudatus BVDDEVS *l. c. §. 16.* S. R. JO. JAC. SYRBIVS *philos. prim. part. 1. cap. 6. §. 33.* & JO. JAC. LEHMANNVS *doctr. moral. libr. 1. c. 2. §. 77 sqq.* Quod si vero rem omnem paulo curatius expendamus,

cum

cum BVDDEO & LEHMANNO, agnoſcimus duos ſaltem adfectus primitivos, videlicet adpetitum ſeu amorem, & averſationem ſeu odium. Idque vel inde comprobatur, quia objectum generale omnium adfectuum, aut bonum eſt, aut malum, gratum aut ingratum. Si enim in bonum aliquod fertur adpetitus, vocatur amor, ſin in malum, ut illud averſetur & propulſet, dicitur odium. Idemque ex adfectuum omnium inductione patet. Quocunque enim nomine veniant, amorem in eis offendimus vel odium; differentia autem, aut ab objecto peculiari, aut ex certa, quæ accedit, relatione; aut ex gradu vehementiori vel leniori, deſumitur. Unde colligas derivativos, qui vocantur, adfectus, tantum eſſe certas amoris aut odii modificationes.

§. IV.

Adfectuum derivativorum ſeptem conſtituunt claſſes JO. FRANC. BVDDEVS *l. c.* ejusque gener JO. GEORG WALCHIVS *introd. in philoſ. libr. 2. cap. 5. §. 20. ſqq.* I. eſt eorum, qui ex objecti diverſitate oriuntur: II. ſi ad objectum perſonale reſpectus diverſus accedat: III. ſi ad amorem aut odium, accedat judicium de facilitate aut difficultate bonum conſequendi, aut malum evitandi: IV. ſi ad amorem aut odium accedat voluntas utendi mediis, quibus obtineri bonum, aut propulſari malum poſſit: V. ſi bonum malumve, adfectus excitare aptum, mediate nos tangat: VI. eſt eorum adfectuum, qui ex aliis derivativis progignuntur: VII. adfectuum mixtorum, ex amore & odio conflatorum atque compoſitorum. Et quidem ad quartæ claſſis adfectus refertur ira, quæ vocatur, quando ad malum im-

minens

minens propulſandum, motu aliquo concitatiori ferimur. Equidem, qui RENATI CARTESII placita ſequuntur, exiſtimant, iram eſſe adfectum maxime compoſitum; concurrere enim hic odium, triſtitiam, & cupiditatem depellendi mala. Sed triſtitia eſt ſpecies odii, adeoque diverſi inde conſtitui nequeunt adfectus. Cupiditas depellendi malum, itidem non eſt diverſus adfectus, ſed potius ipſam iram abſolvit; quare recte dicitur, iram eſſe ſpeciem triſtitiæ, quatenus hæc ſimul malum imminens depellere ſatagit.

§. V.

Si ſpectes moralem adfectuum æſtimationem, duo hic cavenda ſunt extrema. Alterum eſt Stoicorum, qui omnes adfectus, in ſe & abſtracte ſpectatos, malos eſſe contendunt: alterum recentiorum quorundam Philoſophorum, maxime CARTESII diſcipulorum, qui, omnes adfectus eſſe indifferentes, opinantur. Adi ſis BVDDEVM *l.c.§.32.* & excellentiſſimum SCHWARZIVM *in diſſert. de adfectuum morali æſtimatione.* De quibusdam tamen adfectibus, ſpeciatim de ira magna & acris eſt contentio, ſintne ſua natura mali. SENECA, philoſophus Stoicus, in *libris tribus*, quos *de ira* perſcripſit, iram omnem, ceu malam rejecit atque damnavit. Hic quoque *libr. 1. de ira cap. 1.* membrorum poſitum, qualis in ira vehementiori eſſe ſolet, eleganter deſcribit. *Audax*, inquit, & *minax vultus, triſtis frons, citatus gradus, inquietæ manus, color verſus, crebra & vehementius acta ſuſpiria, iraſcentium ſigna ſunt. Flagrant & micant oculi, multus ore toto rubor, exæſtuante ab imis præcordiis ſanguine. Labia quatiuntur, horrent & ſubriguntur capilli, ſpiritus coactus,*

ctus, & stridens articulorum se ipsos torquentium sonus, gemitus, mugitusque, & parum explanatis vocibus sermo præruptus, & complosæ sæpius manus, & pulsata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnasque minas agens, &c. Et, quemadmodum adfectus quasi caliginem quandam intellectui offundunt, ut perspicere rei veritatem non valeat, longeque aliter judicet, quam res se habet: ita de ira dici solet: *impedit ira animum, ne possis cernere verum.* Magno ingenii acumine, SENECÆ causam agit CHRISTIANVS THOMASIVS, JCtus & Philosophus olim Halensis longe celeberrimus, *in praxi ethic. cap. 13.* qui iram ambitionis filiam vocat, eamque considerat, ut plerumque in hominibus deprehenditur. Nihilominus si abstracte ira spectetur, prout tristitiam denotat, cum cupiditate malum imminens depellendi, omnis ira mala dici nequit. Mali enim depulsio vel remotio, sive per pœnam illa fiat, sive alia ratione, interdum licita est & laudabilis: & cupiditas istius remotionis vel depulsionis mala esse non potest. Accedit, quod adfectus iræ summo Numini psalm. *XC. 11.* Christo Servatori nostro *Marci III. 5.* & sanctis a gentium doctore PAVLO *Ephes. IV. 26.* tribuatur. Licet vero hoc ἀνθρωποπαθῶς, & humano more fiat, cum adfectus proprie dicti in Deum non cadant: non tamen procul dubio id fieret, si ira omnis per se mala esset, & vitiosa, uti recte infert LACTANTIVS *libr. de ira Dei cap. XVII & alibi.* Cum & Christus homo verus fuerit, dubitandum non est, quin ira proprie sic dicta de eo prædicetur.

§. VI.

Ira originem suam debet vocabulo ire, quod a se

B eat

eat, qui irascitur. MATTH. MARTINIVS *in lex philolog. voc. ira*. CAGNOL. *in l. quicquid 48. num. 1. ff. de R. J.* Unde & qui iram ponit, ad se redire dicitur: TERENTIVS in *Adelph.* Aliis ira quasi *ura* dicta videtur. In irascentibus enim deprehenduntur motus, qui corpora quasi incendunt. Ita apud Plautum invenitur: *me semper incendit ira:* & in sacro codice veteris testamenti iram vocabula חֵמָה · חָרוֹן & קֶצֶף exprimunt. Vocatur quoque ira *Calor l. 5. C. de injur. l. 7. §. 3. ff. ad L. Jul. repetund. l. 22. §. fin. ff. ad L. Jul. de adult.* Negari tamen nequit hoc vocabulum latius patere, & sub suo ambitu alios quoque vehementes animi motus complecti. Sic juvenilis caloris mentionem facit Imperator *l. 4. C. de auctor. praest. & l. 8. §. 5. C. de bon. quae lib.* ibi: *melius est, juveniles calores coarctare, ne cupidini dediti tristem exitum sentiant, qui eos post dispersum exspectat patrimonium.* Porro ira *doloris* vocabulo denotatur *in l. 38. §. 8. ff. ad l. Jul. de adult. l. 4. C. eod.* Cumque ira sit species odii, ira etiam *odium* appellatur *l. 19. C. de inoff. test.* Teutones iram vocant Zorn, a verbo Zehren, judice MARTINIO, deducto nomine. Ira enim est res consumens EZECH. *XXII. 31.* Quamvis autem ira & iracundia non raro confundantur: si tamen ἀκριβῶς loqui velimus, ira πάθος est, seu adfectus ipse, iracundia vero proclivitas & propensio naturalis ad iram, vel habitus ipse vitiosus; adeoque iracundus ab irato differt, ut ebriosus ab ebrio & timidus a timente. SENECA *libr. 1. de ira c. 4.* WOLFGANG. HEIDER. *system. phil. moral. p. 356.*

§. VII.

Ira diversos habet gradus; primus vocatur indignatio,

gnatio, secundus excandescentia, & tertius furor. Quod si vero ira pertinax est & in longum tempus durat, vocatur amaritudo. JO. JAC. LEHMANNVS *doctrin. mor. libr. 2. cap. 2. Sect. 4. §. 24.* Paululum ab hoc dissentit JO. GEORG. WALCHIVS *l. c. §. 24.* qui medio gradui simplex vocabulum iræ tribuit, & ratione durationis, iram cito transeuntem, excandescentiam, firmius vero animo insidentem, amaritudinem appellat. Excandescentiæ maxime obnoxii sunt sanguinei & voluptatibus dediti. Contra amaritudo illis fere propria est, qui ex melancholico multum trahunt temperamento: hi enim tardius iram concipiunt, sed semel conceptam animo ægerrime dimittunt. JCti duos tantum gradus iræ vulgo admittunt, statuentes iram gravem sive magnam & levem. Illa est, quæ irascentem usu rationis quodammodo privat, ut, quid dicat, faciatve, nesciat. Hæc est, quando quis a mente non est alienatus, ita, ut quicquid facit, advertat, illudque sciens & volens faciat, quamvis animo aliquo modo perturbato, adeoque sine plena deliberatione Vid. WOLFFG. AD. LAVTERBACHII *disp. de ira ejusque in jure effectib. §. 10.*

§. VIII.

Ira est vel *rationalis* vel *irrationalis*. Illa est, si voluntas a sano judicio regitur, & per idoneas repræsentationes ac rationes dirigitur, ita, ut tunc demum irascamur, quando necessitas hoc efflagitat, ac in irascendo modum servemus: hæc e contrario est, si voluntas nostra sensualibus repræsentationibus occupatur, ut non tantum propter res minimas iram concipiamus, sed quoque in irascendo modum tenere nequeamus. S. R.

JO. GEORG. WALCHIUS. *l.c.* & *lex.philos.voc.ira.* Vel quod eodem recidit, ira est vel *justa* sive licita, vel *injusta.* Justa est, quæ medium tenet, & rationem sequitur; quando scilicet aliquis irascitur, cum & quantum oportet, ita, ut nec ratione causæ, nec modi terminos excedat. Injusta vero est, quæ medium non observat, nec rationem sequitur, sed ejus præscriptum vel ratione causæ, vel modi, vel finis migrat. LAUTERBACH *l. c.* §. *6. sqq.* JCti paulo aliter justam & injustam iram, ad eum inprimis effectum, ut in delictis aliquam excusationem adferat vel non, capiunt. Justa enim ira ad illum effectum his dicitur, quæ ex justa venit causa, vera scilicet injuria irascenti illata, quæ alios quoque ad ejusmodi iram provocare potest, & in effectu, atque alterius læsione, modum ratione mensuræ non excedit; ita, ut inter injuriam irascenti illatam, & ejus vindictam, aliqua sit proportio. Injustam vero juris interpretes vocant, quæ non proficiscitur ex ejusmodi caussa justa, aut dictum modum excedit, v. c. si creditor debitorem appellat ac debitum exigit, is vero iram concipit, & telo creditori vulnus infligit. Caussa autem iræ ratione irascentis justa est, quæ intuitu ad iram provocantis est injusta, ita, ut ipse aliquid contra jus faciat. Item, si qua quidem adsit justa iræ causa, sed damno, quod iratus dedit, plane non respondeat. e. g. si levi injuria verbali affectus adversarium trucidat & occidit. CARPZOV. *pr. crim. quæst. 6. num. 16.* & *quæst. 147. num. 44. sqq.* LAUTERBACH. *disp. c.* §. *9.* Ira quoque est vel *affectata*, voluntatis arbitrio excitata, ut promtiori actioni inserviat, vel *non affectata.* Illa non minuit voluntatem, sed

ſed eandem potius auget, & enixam voluntatem demonſtrat; perinde ac ſi quis eam ob cauſam largius bibit, ut Baccho confidentiam addente, eo audacior in ſcelus ruat. *Non affectata* vero audit, cujus contraria eſt ratio, & quæ nobis non advertentibus obrepit. LAVTERBACH. *l. c. §. 35.*

§. IX.

Quod ſi perſonam judicis, ejusque virtutes ſpectemus, quas jus divinum pariter ac civile in judice requirunt & deſiderant; nullum eſt dubium, quin eæ injuſtam iram excludant, illamque a judice procul faceſſere jubeant.

§. X.

Judex dicitur quaſi jus dicens populo. Aliis quoque nominibus paſſim inſignitur iisque egregiis e. g. animatum jus *Novell. 105. c. 2. in fin.* & juſtitiæ miniſter. In ſacris literis vocatur δικαστὴς, שׁוֹפֵט & דַּיָּן. Et definitur vulgo judex, quod ſit perſona publica inter litigantes media, quæ rem eorum in controverſiam vocatam diſceptat, i. e. cognoſcit & definit auctoritate publica. CASP. ZIEGLER. *dicaſt. concluſ. 10. §. 4.* Plures definitiones una cum diviſionibus adfert excellentiſſimus CASP. ACHAT. BECKIVS *diſſ. de offic. jud. nob. & mercenar. cap. 2.*

§. XI.

Jus divinum vult maxime conſpicuis judicem gaudere atque imbutum eſſe virtutibus, ſapientia, prudentia, juſtitia *Devt. I. 13.* fortitudine, timore Dei, amore veritatis, odio avaritiæ *Exod. XIIX. 21.* & ἀπροσωποληψία, ſive ut perſonarum nulla habeatur ratio *Devt. I. 17.*

Reli-

Reliqua requisita, quæ his Ebrææ gentis magistri addunt, & a THOMA GOODWINO *in Mos. & Aaron. libr. 5. cap. 5. §. 2.* enarrantur, calculum non merentur. Leges civiles multa paucis complectuntur, cum judicem bonum & innocentem virum esse præcipiunt *l. 137. §. 2. ff. de V. O. l. 4. §. 1. ff. fam. herc.* conf. TOB. GRANZIUM *defension. inquisitor. cap. 4. membr. 1. sect. 4. n. 46. sqq.* Carolus V. Imperator in judice rerum criminalium exigit pietatem, honestatem, prudentiam, experientiam & eruditionem. *Vid. art. 1. const. crim.* BALD. *in l. 2. C. de sentent. ex peric. recit.* non inepte scribit; judex debet habere duplicem salem, scientiæ, ne sit insipidus, & conscientiæ, ne sit diabolus.

§. XII.

Nec moratiores gentes promiscue cuilibet docto pioque jus dicendi facultatem concesserunt, sed ut eo sanctius castiusque coleretur justitia, hanc provinciam sacerdotibus, hominibusque in sacro munere ac dignitate constitutis, demandarunt. Ut gentem Ebræam taceam, de qua tum ex sacra historia, tum ex illis, qui de republica Judæorum ex instituto scripserunt, satis constat, eam maximarum rerum disceptationi sacerdotes præfecisse, legumque ac institutorum custodiam eorum fidei commisisse: refert POMPONIUS *in l. 2. ff. de orig. jur.* interpretationem legum penes Pontifices Romanorum olim fuisse. Verba ejus, quæ digna omnino sunt, ut recitentur, hæc sunt: *Et ita eodem pene tempore tria hæc jura nata sunt, leges XII. tabb. ex his fluere cœpit jus civile, ex iisdem legis actiones compositæ sunt. Omnium tamen harum & interpretandi scientia, & actio-*

actiones apud collegium Pontificum erant: ex quibus constituebatur, quis quoque anno præesset privatis, & fere populus annis prope centum hac consuetudine usus est. Pari ratione Celtarum Gallorumve Druides, teste JVL. CÆSAR. *libr. 6. comment.* de omnibus controversiis, qua publicis, qua privatis, constituebant, & si quod fuerat admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, de finibus controversia, iidem decernebant. Et certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ media habetur, considebant in loco consecrato, quo omnes undique qui controversias habebant, conveniebant, eorumque judiciis ac decretis finalibus tanquam sacrosanctis parebant. Nec minus notum est, Assyriorum & Persarum Magos, præter sacrum officium, civilium quoque rerum curam habuisse. Compara JO. HENR. BOECLERI *dissert. de scientia & studio Politices*, quæ subjuncta est ejusdem institution. Polit. & ZIEGLERI *l. c. conclus. 16. §. 8. seqq.*

§. XIII.

Ut quoque judicis integritas & dexteritas magis magisque confirmetur, isque intra honestatis & justitiæ limites contineatur, jurisjurandi religio adhibetur *c. veniens X. de jurejur.* Nullum quoque vinculum ad adstringendam fidem, Romani jurejurando arctius esse censuerunt, teste CICERONE *libr. 1. de offic. cap. 31.* Et ea ultima inter homines tum Græcos tum barbaros fides est, quam nulla delebit ætas, quæ per jurata pacta sponsores adhibet Deos. Unde etiam vocatur pignus & arrha fidei, quæ omnis justitiæ est fundamentum SETSER *de juram. in præfat. n. 3.* Quare nemo, nisi prius

prius sacramentum præstiterit, judicis personam sustinere potest. Quod jusjurandum, neque ex statuto, neque ex consuetudine, judici remitti potest, quia alias eo ipso occasio in officio delinquendi suppeditaretur, quæ caute & circumspecte evitanda est. Olim in singulis causis judices sacramenti religione adstricti fuerunt, & in leges juraverunt. *l. 14. & authent. hodie C. de judic.* Hodie vero sufficit, sub auspicium officii, de administranda in omnibus negotiis judicialibus justitia, jusjurandum præstitisse, quod deinde in singulis causis repetitum censetur. LVDOV. GVNTH. MARTINI comment. *in Ord. proc. Saxon. tit. 1. §. 1. n. 208. sqq.* Meminit etiam juramenti judicum CICERO *in orat. pro Sexto Roscio Amer. c. 3.* In conceptis vero verbis jurisjurandi *Novell. 8. circ. fin. & art. 3. constit. crim.* CAROLI V. aliisque formulis, judices gratiæ, odio ac iræ renunciare jubentur.

§. XIV.

Uti vero judex omnibus pravis adfectibus nuncium mittere debet *c. judicet. C. 3. q. 7. & c. quatuor C. 11. q. 3.* SAM. FRIDER. WILLENBERG. *diss. jurid. de passionib. animi in judice:* ita inprimis a capitali isto judiciorum peste, ira injusta immunis esse debet. Ira enim mentis alienationem inducit, & rationem perturbat *l. si adulterium 38. §. Imperator 8. ff. ad l. Jul. de adulter.* silent sub turbulento ejus imperio jura, statuta, leges, & si quid salutare suggeris, operam ludis, & surdo narras fabulam. SOCRATES eum judicem, qui sibi ipsi imperare potest, administratione esse dignum, atque omni laude celebrandum, ajebat. Vid. FVLV. PACIAN. tr.

tr. de probat. libr. 2. cap. 44. num. 14. sq. Quomodo vero aliis jus dicet, qui impotentis est animi, seque ipsum gubernare nescit? Qualis hic custos, qui ipse custode indiget? Per omnium quoque ora volitant versus, qui vocantur Leonini:

In mundo mira faciunt duo, munus & ira:
Mollificant dura, pervertunt omnia jura.

Hinc CLAVDIANVS imperatorem HONORIVM, inter alia, sic hortatur:

Tu licet extremos late dominere per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent;
Si metuis, si prava cupis, si duceris irâ,
Servitii patiere jugum, tolerabis iniquas
Interius leges; tunc omnia jura tenebis,
Quum poteris rex esse tui.

Prohibenda autem maxime est ira in puniendo: nunquam enim iratus, qui accedet ad pœnam, mediocritatem illam tenebit, quæ est inter nimium & parum. Optandumque, ut ii, qui præsunt reipublicæ, legum similes sint: quæ ad puniendum non iracundia, sed æquitate ducuntur, graviter monente TVLLIO *libr. 1. de offic. c. 25.* Ira sæpe etiam innocentes in crimen adducit, quia dum justo amplius irascuntur judices, & alienum corrigere volunt peccatum, graviora peccata committunt, *can. ira 68. caus. 11. qu. 3. can. si Episc. 4. pr. ejusd. q. 3.* Nihil sane periculosius est, quam in puniendo irasci: cum vitæ necisque arbitrium, & ferrum irato male committantur, nullusque adfectus vindictæ cupidior sit, quam ira, teste SENECA *libr. 1. de ira c. 12. & 16.* Accedit, quod ira perniciosos habeat comites,

C cru-

crudelitatem & furorem, a quibus in transversum agi rapique solet judex MATTH. STEPHANI *de Offic. judic. libr. 1. cap. fin. num. 46.* Plura incommoda ac mala, quæ iram comitantur, exponit ANDREAS A MANDELSLO *de justitia postergata cap. 3.* Rectissime ergo CALLISTRATVS *in l. 19. §. 1. ff. de offic. Præsid.* præcipit, quod is, qui jus reddit, adversus eos, quos malos putat, excandescere non debeat. Quam legem, eo quod multa salutaria ad officium judicis spectantia complectitur, LAMBERTVS GORIS, JCtus Belga, & JO. PHIL. SLEVOGTIVS Antecessor olim Jenensis celeberrimus, pulcherrimis commentariis illustrarunt. Pia illa ac prudens admonitio, in curia Ratisbonensi tabulæ marmoreæ insculpta, digna est, quæ quibusvis curiis, imo singulis judicum pectoribus, inscribatur. Verba ejus, referente SCHÖNBORNERO *libr. 3. Polit. cap. 24.* hæc sunt: Quisquis Senator curiam officii causa ingrederis, ante hoc ostium privatos adfectus omnes abjicito: iram, vim, odium, amicitiam, adulationem: reipublicæ personam & curam subjicito: nam ut aliis æquus aut iniquus fueris: ita quoque Dei judicium exspectabis & sustinebis. Ipse etiam Rex ALPHONSVS dicere solitus fuit, si romanis temporibus natus fuisset, se constructurum ædificaturumque fuisse contra curiam Jovi positorio templum, in quo patres conscripti sententiam dicturi, antequam curiam ingrederentur, odia atque alias animi pestes deponerent. PANORMITAN. *libr. 3. cap. 8. de dict. & fact. Reg. Alphons.*

§. XV.

§. XV.

Quodsi itaque quis animadvertat, judicem sibi esse iratum vel infensum, eum tanquam suspectum recusare potest *l. 16. C. de jud. l. 15. ff. eod.* GEORG. ADAM. STRUVIUS *jurisprud. forens. libr. 4. tit. 6. aph. 1.* Periculosum enim est, coram judice suspecto litigare, ad quod ne quidem Princeps aliquem cogere potest *Gloss. in l. 14. C. de jud.* Illa autem recusatio, quæ etiam refutatio vocatur CUIAC. *libr. 9. obs. 23.* tali expeditur modo: reus libellum recusationis ipsi judici recusato offert *l. fin. C. de jud.* cui caussa recusationis inseritur *cap. 41. §. fin. X. de appell.* Quo facto intra triduum arbitri qui de suspicione cognoscunt, eliguntur, vel ad superiorem cognitio devolvitur GAIL. *libr. 1. obs. 33. n. 11. sq.* Verum cum sæpius judex, ob injustam iram aliosve inordinatos adfectus, sit suspectus, causa tamen suspicionis probari nequeat, interim alteri litigantium, ex indiciis non levibus, de ea constet; utilis omnino cautio est, quam SAM. STRYK. *introd. ad prax. for. c. 9. §. 15.* suppeditat, scilicet suadet litiganti, ut confugiat ad juramentum perhorrescentiæ, & petat, se ad illud admitti *c. 11. §. cum vero de rescript. in 6.* In eo autem hocce juramentum melius pinguiusque est exceptione suspecti judicis; quod is, qui ad juramentum hoc provocat, caussam suspicionis specialiter non exprimere, multo minus eandem probare teneatur, sed sufficiat allegatio generalis, & stetur juramento judicium declinantis: cum nemo præsumatur, sine caussa horrorem suum sub jurisjurandi religione testari. FELTMANN. *de juram. perhorrescent. disp. 1. c. 4. n. 1.* Et ad hoc juramentum tam actor quam reus

admit-

admittitur, licet quod ad reum attinet, MEVIUS *p. 6. decis. 71. n. 4.* & *p. 2. decis. 154. n. 6. sqq.* dissentiat, in cujus asserti ratiunculus inquirit, easque refellit illustris JUST. HENNING. BÖHMERUS *jur. eccl. Protest. libr. 2. tit. 2. §. 73.*

§. XVI.

Quando vero agitur de vitæ discrimine, prudentioris consilii est, potius fugere; quam se irati committere judicis arbitrio *Clement pastoralis §. esto igitur de sentent. & de re judicat.* Præterea, licet fuga indicium commissi criminis dicatur *in Const. crim. Caroli V. art. 25. vers. ult:* nihilominus *in seq. art. 27.* expresse subjicitur, fugam non esse tale indicium, ut judex fugientem deprehensum ad torturam abripere possit, nisi cum fuga alia indicia concurrant. CHRISTOPH BESOLD. *thes. pract. voc.* flucht.

§. XVII.

Nonnunquam tamen accidit, ut miseri homines fuga sibi consulere, ac irati judicis manus effugere nequeant. Si tunc Magistratus vel judex innocentem, vel quem punire non debuit, calore iracundiæ, capitali supplicio affecit, interfecitque, capite plecti jubetur, vel certe in insulam deportari. *l. 7. §. fin. ff. ad l. Jul. repet.* CARPZOV. *pr. crim part. 3. quæst. 127. n. 3. sqq.* Quæ pœna cum exoleverit, extraordinaria aliqua gravior aut levior, pro re nata, locum invenit ZIEGLER. *dicast. conclus. 30. §. 13.* Ac Magistratus vel judex in subditos sæviens, ob crudelitatem nimiam, jurisdictione privari solet GAIL. *libr. 1. obs. 17. n. 2.*

§. XIIX.

§. XIIX.

Secus se res habet, quando Princeps iratus, qui superiorem in terris non agnoscit, crudelem quandam pronunciavit sententiam. Cum enim THEODOSIVS Imperator, ira accensus, crudelissimam illam in Thessalonicenses tulisset sententiam; non solum eam publica pœnitentia largiterque profusis lacrymis expiavit: sed simul publica lege constituit, ut, quando Princeps severiorem quandam ac capitalem statuit pœnam, & â jure communi recedentem, illa non statim executioni mandari, sed mora triginta dierum dari debeat, ne locus pœnitentiæ aut misericordiæ periret *l. 20. C. de pœn.* ibique BRVNNEMANN. *can. cum apud Thessalonicam 69 C. 11. q. 3.* Ira enim ad 30. dies durare præsumitur CASP. KLOCK. *tom. 3. conf. 184. n. 11.* Quod si nec intra hoc tempus Princeps mutet sententiam, judex, cui demandata est executio, apud Principem, ea qua par est, animi submissione, intercedere, scrupulos conscientiæ, qui illum vellicant, exponere, omnibusque modis tentare debet, ut istius pœnæ executio impediatur REINKING. *de. reg. sec. & eccles. libr. 1. class. 1. cap. 4. n. 5.* HENR. NEVENHAHN. *discurs. nomicopolit. de jur. consiliar. num. 101. sqq.*

§. XIX.

Judex vero in infligendis pœnis, nec durior nec mitior esse potest lege, nisi gravi infamia notari velit *l. 8. §. 2. C. ad leg. Jul. de vi publ.* CARPZOV. *pr. crim. part. 1. quæst. 24. n. 12.* DIODOR. TVLDENVS *de causis corruptor. judicior. & remediis libr. 2. cap. 15. & 16.* Contra, ubi certa pœna constituta non est, v. c. in delictis extra-

traordinariis, judex liberiori decernendi poteſtate gaudet *l. 13. ff. de pœnis c. 4. X. de off. & poteſt jud. deleg.* ita tamen, ut a judice proportio inter delictum & pœnam temperata, & cum lenitate conjuncta, obſervetur *l. 11. ff. de pœn.* Accedit, quod non de privatis tantum, ſed publicis etiam delictis moneat CLAVDIVS SATVRNINVS, conſideranda ea eſſe ſeptem modis: cauſſa, perſona, loco, tempore, qualitate, quantitate ac eventu, & pro ratione harum περιστάσεων pœnas vel exaſperandas, vel mitigandas eſſe *l. 16. ff. de pœn.* Ac in puniendo non iræ debet indulgere judex, ſed æquitatem ſequi, quæ tamen non ſemper in lenitate, ſed interdum quoque in ſeveritate conſiſtit *arg. l. 1. §. 1. ff. ſi quis teſt. l. 1. ff. de eo per quem fact.* CASP. ZIEGLER. *libr. cit. concluſ. 36. §. 42. ſq.*

§. XX.

Fac ergo, judicem ira abreptum, pronunciare ſententiam in ſe juſtam, nihilominus tamen erit injuſta ſententia. GRATIANVS enim *in c. Epiſcopus 65. C. 11. q. 3.* triplicem conſtituit ſententiam injuſtam. Aliquando, ait, ſententia eſt injuſta ex animo proferentis, juſta vero ex ordine & cauſa: aliquando eſt juſta ex animo ex cauſa, ſed non ex ordine: aliquando juſta ex animo & ordine, ſed non ex cauſa. Atque de prima ſpecie, quæ huc pertinet, addit: *Ex animo eſt injuſta ſententia, cum aliquis ſervata integritate judiciarii ordinis, in adulterum vel in quemlibet criminoſum, non amore juſtitiæ, ſed livore odii, vel pretio, aut favore adverſariorum inductus, ſententiam profert.* Unde BEDA *ſuper epiſtolam Jacobi* ait: *Ira viri juſtitiam Dei non operatur: quia, qui iratus*

tus in aliquem sententiam profert, etsi ille quantum ad se, justam reportet sententiam; iste tamen, qui non amore justitiæ, sed livore odii in eum sententiam dedit, justitiam Dei in quem perturbatio non cadit, non imitatur. Et hæc omnia, quæ GRATIANVS adfert, conveniunt cum Philosophorum placitis, quippe qui solicite distinguunt inter juste agere, & justa agere. Nonnunquam aliquis justum agit, sive id, quod justum est, facit, nequaquam tamen simul juste agit. Ut enim quis juste agat, minime gentium sufficit, ut justum sit id, quod agit, sed requiritur etiam ut agat sponte, sciens & volens, adeoque actio justa proficiscatur ex interno virtutis habitu. Justus debet esse judex; at vere justus non est, qui non juste agit id quod justum est. *Juste, quod justum est, persequeris*, dicitur *Deuteron. XVI. 20.* sive ut IMMAN. TREMELLIVS vertit: *justissimam justitiam sectare.* Quomodo vero esse potest justissima, quæ oritur ex vitiosa causa efficiente. ZIEGLER *l. c. conclus. 46. §. 1. sq.* Conf. JO. LORINVS *in comment. ad Sap. VI. 5.*

§. XXI.

Quid quod? experientia proh dolor! testatur, judices inferiores sæpius ira ardere in appellantem, si ille in sententia a se tanquam ex tripode dicta acquiescere nolit; sed causam ad superiorem judicem deferat. Olim miseros appellantes variis contumeliis affectos, imo carcere & tormentis mulctatos esse, haud obscure colligimus ex *l. 2. l. 15. l. 22. Cod. Theodos. de appellat.* Quam injusta vero & insana sit hæc judicis ira, vel inde patet, cum, uti dicitur in *l. 15. C. Theodos. de appellat.* & *l. 20. C. Justin. eod. tit.* appellatio non in contumeliam

ac

ac injuriam judicis, ſed in privilegium litigantis inventa ſit. Tantum quoque abeſt, judicem primæ inſtantiæ appellanti ſuccenſendi habere cauſam; ut potius ſibi gratulari debeat, quod per appellationem interpoſitam liberetur a periculo conventionis, cui ſe per injuſtam forte ſententiam obnoxium fecerat. ZIEGLERVS *l. c. concluſ. 51. §. 9.* Quam nefanda ira proſequantur judices nonnunquam cauſſarum patronum ejusque clientem, ſi advocatus nullitatem proceſſus deducat, ſcapham appellet ſcapham, Tros Rutilusve ſit judex; ac ut *Specul. §. 5. num. 4. de Adv.* ait, humiliter audire judicem, ejusque omnia dicta, dicendo ei, *Domine Deus noſter quam admirabilis eſt ſapientia tua! ignitum eloquium tuum vehementer, & ſervus tuus dilexit illud &c.* laudibus extollere nolit, aculeato ſatyricoque ſtylo perſequitur OTTO PHIL. ZAVNSCHLIFFERVS in Epiſtola ſub nomine CONSTANTIS VERIDICI ad JVSTVM SINCERVM *de hodiernæ conſcientioſæ advocationis difficultate* edita, quæ extat *part. prior. opp. jurid.* ZAVNSCHLIFFERI *p. 158. ſqq.*

§. XXII.

Memorabile injuſtæ iræ exemplum quoque præbet Achabus Samariæ rex, qui, cum Nabothus negaret, ſe patrimonium vineæ, aut argento ei addicturum, aut alia vinea permutaturum; ita exarſit iracundia ac ſtomacho, & eo flagitiorum, inſtigante conjuge Jezabele, venit; ut immiſſis falſis teſtibus, inſontem Nabothum criminis impiæ vocis, quod Deo regique maledixiſſet, damnandum, & lapidatione interficiendum curaverit, ac dein in poſſeſſionem vineæ invaſerit. *1. Reg. 21. verſ. 5. ſqq.*

§. XXIII.

§. XXIII.

Maxime injusta ira judicis, qui non flagitiis sed hominibus irascitur, in criminali judicio solet esse miseris inquisitis funesta & capitalis, eosque inter sacrum, quod ajunt, & saxum constituere. Iram vero ejusmodi judici inquisitori esse fugiendam, vel exemplo Josuæ patet. Hic enim Achanem sacrilegum blande compellat: *Fili, exhibe Domino Deo Israelis hunc honorem & confitere, ne cela me aliquid ejus rei, quam feceris;* de pœna vero nihil quicquam atrocitatis remisit, quam tamen iterum verbis quasi miseratoris prosequitur: *cum afflixeris*, inquit, *nos, affligat te Dominus hac die JOS. VII. comm. 19. sqq.* TOB. GRANZIVS *defens. inquisitor. cap. 4. membr. 1. sect. 4. n. 136.* Operæ ergo pretium erit, missis aliis, breviter strictimque perstringere, ubi & quando ira judicis injusta potissimum in processu inquisitorio se exserere & prodere soleat. Scilicet

I. In nimia ad inquisitionem instituendam festinatione. Cum enim per inquisitionem virorum honestorum fama & existimatio vulgo imminui ac sugillari credatur CARPZOV. *pract. crim. quæst. 107. num. 17:* judex non temere & ex mera iracundia ad inquisitionem procedere debet. MEVIVS *part. 6. decis. 191. num. 3.*

II. In defensionis denegatione. Nemini sane defensio deneganda est, ne quidem diabolo, ut jurisperiti ajunt, ad exaggerandum defensionis favorem. MVND. *consl. 15. n. 78.* JAC. AYRER. *proc. jur. hist. part. 1. c. 6. obs. 2. n. 6.* Et hæc concedenda, quamvis justa defensionis caussa non adpareat JVST. OLDEKOP. *tit. 2. obs. crim. 14. n. 18.* siquidem nullum delictum tam notorium est, quod non aliquas habeat excusationes SEBAST. GVAZZIN. *def. 31. num. 5.* Imo adeo privilegiata est inquisiti defensio, ut ei renunciari nequeat MENOCHIVS *de*

arbitrar. jud. quæst. libr. 1. quæst. 7. n. 9. & judex ex officio, inquisito defensorem constituere teneatur. CARPZOV. *pr. crim. quæst. 59. n. 37* Huc refertur, si aditus ad reum advocato præcluditur, qui defensori *const. crim. Carolin. art. 73.* est concessus; ut eo melius ea, quæ ad caussam inquisiti tuendam faciunt, & in actis aliquanto obscurius & justo brevius consignata sunt, ex ore ipsius, secundum omnes circumstantias percipere, & plenius deducere possit. Et quamvis in plerisque judiciis non permittatur Advocato, ut solus cum inquisito, sed præsentibus actuario aut Scabinis, colloquatur: non semper tamen eo rigore utendum esse, ne ipsam defensionis libertatem nimium restringamus, maxime cum Imperator *in d. art. 73.* hoc non determinaverit, & *l. 12. ff. de publ. jud.* hoc non evincat, existimant ZIERIZIUS, MANZIUS aliique nemesis Carolinæ interpretes.

III. Quando innocens in carcerem conjicitur. Judices enim iracundia ducti, sæpius absque indiciis sufficientibus, & posthabita personæ & delicti qualitate, ad capturam provolant CARPZOV. *pract. crim. quæst. 3. n. 4. sq.* cum tamen fas & jura judici injungant, ut a captura abstineat, si sine illo judicio satisfieri potest. MEVIUS *part. 1. decis. 1. num. 3. sq.* Exemplum hujus rei est Potiphar, qui audita uxoris oratione, Josephi contra se injuriam accusantis, iratus, Josephum insontem, & in concubitum ac congressum heræ non consentientem, in carcerem, absque prævia causæ cognitione, inclusit. *GENES. XXXIX. 19.*

IV. Si in delictis levioribus, in quæ non pœna corporis afflictiva, sed vel pecuniaria vel relegationis statuta est, idoneis licet oblatis fidejussoribus, captivus non dimittitur CARPZOV. *pract. rer. crim. quæst. 112. n. 45.* DAMHOUDER. *prax. rer. crim. cap. 19. n. 5. & c. 20. n. 1.*

V. Quando inquisitus intolerabili & squalidissimo carceri, ex quo valetudinis jactura metuenda est, includitur. OLDEKOPP. *obs. crim. 26. tit. 3.* Quomodo locus carceris comparatus esse debeat, exponunt STRYKIUS *dissert. de carcere ad custodiam* & JAC. FRID. LUDOVICI. **Einleit. zum peinlichen** *Proc. cap. 2. §. 7. seqq.*

VI.

VI. Quando judices nimio & impotenti justitiæ zelo flagrant, & conquisitis exiguis ac remotis indiciis, inquisitum, denegata defensione pro avertenda tortura, quæstionibus sive tormentis subjiciunt. OLDEKOPP. *tit. 4. obs. crim. 48. n. 12.* Item, si judex novo tormentorum genere, absque consensu Principis, qui hic necessarius est LUDOVICI *l. c. cap. 9. §. 26.* utuntur: vel si ipsi judices non solum injurias evomunt, sed etiam violentas manus injiciunt inquisitis. Sic ex alio refert personatus VENTURA de VALENTIIS, cujus nomen est, GEORGIUS VALENTINUS WINTHERUS *Parthenii litigiosi libr. 1. cap. 14. n. 34.* aliquem judicem rei capillis apprehensi caput ad columnam allisisse, dicendo: *confitearis & dicas veritatem ribalde*, quæ vox significat hominem scelestum & nebulonem. vid. BESOLD. *thes. pract. voc. Ribaldus.*

VII. Quando judex litteris, quibus sententia JCtorum extraneorum exquiritur, **der Urtheils-Frage/** quædam immiscet de delicti circumstantiis, quarum in actis nulla fit mentio OLDEKOPP. *obs. crim. 8. n. 2. tit. 1.* siquidem istiusmodi litteræ generaliter sunt concipiendæ. JO. GUIL WÜNSCH. *de act. judicial. cap. 13. §. 3. n. 5.* & RENNEMANN. *de transmiss. actor. cap. 6. n. 17.* Vel quod eodem recidit, si judex in litteris singularibus, iisque arcanis, *denen Beybrieffgen*, inquisitum gravare studeat WÜNSCH. *l. c. n. 7.* & OLDEKOPP. *c. l. n. 5.*

VIII. Quando ea in actis omittuntur tanquam superflua, quæ si curatius expendantur, omnino faciunt ad inquisiti qualemcunque defensionem & excusationem: e contrario illa sollicite ac cumulate consignantur, quibus rei caussa gravior duriorque redditur OLDEKOP. *obs. crim. 7. n. 13. tit. 1.*

IX. Quando judex nuda concedendi salvum conductum promissione, reum lactat, quo securum reddat petentem, eumque comprehendendi occasionem inveniat; vel plane recuset securitatem præstare. MEY. *decis. 211. n. 6. sqq. part. 4.* & *comment. ad jus Lubec. libr. 1. tit. 1. art. 11. n. 15. sqq.*

X. Quando judex inferior, absque jussu & consensu Principis, sententiam in favorem inquisiti latam, ab actis removet, & acta ad aliud JCtorum collegium transmittit. Vid. CHRIST. THO-

THOMASII. *dissert. de judice sententiam in causis criminal. latam ab actis removente.* Vel sexcenta alia injustæ iræ in criminalibus proferrem exempla, nisi brevitati, ob angustiam temporis, danda esset opera. Cum quoque difficilius sit iram continere, quam miracula facere CARPZOV. *pract. crim. quæst.* 6. *n.* 5. regulariter non licet in sua aut suorum causa judicis fungi officio ZIEGLER. *l. c. concl.* 12.

§. XXIV.

Caveat ergo sibi quilibet, ne cum judice litiget & contendat, eumque ad iram provocet, *ECCLESIASTIC. VIII.* 1. & 13. Secus enim, quæ vis est & effectus idearum associationis, nisi nexus iste diuturnitate temporis, vel aliis intercedentibus causis, dissolvatur, judicem sibi semper infensum & iratum habebit. Vid. JO. LOCKIUS *de intellect. hum. libr.* 2. *cap.* 33. JO. FRANC. BUDDEUS *instit. theol. mor. part.* 1. *cap.* 1. *sect.* 5. §. 9. & JO. FRIDER. WUCHERER. *in dissert. de idearum connexion. ejusdemque effectib.*

§. XXV.

Judex vero reprimet injustam iram, eamque cane pejus & angue detestabitur, si sedulo cogitet; iram injustam Deo omnium judici supremo, qui vices suas in his terris, judicibus inprimis superioribus, & Principibus, demandavit, ceu vitium execrabile & piaculare displicere: illamque iram jurijurando, quo fidem dat judex, se justitiam ubique, cunctis hominibus, procul facessere jussis quibuscunque pravis adfectibus, esse administraturum, quam maxime repugnare. Reliqua remedia, quibus ira supprimenda est & regenda, fuse persequuntur, PLUTARCHUS & supra laudatus HEIDERUS elegantissimis commentariolis *de ira cohibenda:* JAC. THOMASIUS *de remediis iracundiæ*, ALOYSIUS LUISINUS, *de compescendis animi affectib. libr.* 2. *cap.* 5. & 6. & passim alii moralis philosophiæ magistri.

TANTUM.

